



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Provisus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

do fit in manu Abbatis, vel recipientis de ejus mandato, per notata in *ca. porrectum, de reg. quod nota, & ibi gl. in ver. expresse*, facit aperitissime in omnibus dictis *supra c. quam ingredientibus, 19. q. 3. & ibi gl. in ver. convertendi*, facit *l. aut religiosus, ff. de procur. & ibi Accur.* ubi exponit, ut si monachus fiat sacerdos, & *Gem. in c. quamvis, ver. contra gl.* dicit procuratorem ingressum religiosè posse revocari, si non ingreditur irrevocabiliter.

Tertio, quisnam dicitur religiosus, & consequenter verè professus per Conc. Trid. nisi post annum probationis sine interruptione in monasterio exactum, & post emissa tria vota substantialia; *Nav. conf. 9.*

Quarto, si quis emisit tria vota essentialia, videlicet castitatis, paupertatis, & obedientiæ in congregatione, etiam à sede Apostolica approbata pro bono modo vivendi, nisi emisit in aliqua religione approbata non censetur professus, *c. odia, de reg. jur. l. 6. Nav. conf. 9, ca. 9, de his qua vi metusque causant.* ratio est, quia appellatione congregationis non venit religio, nec e contra, nisi sit aliqua congregatio, quæ ortum ducit à religione, prout congregatio Cassinensis, & alia quæ duodecim solent nominari.

Quinto, professio facta in manibus Prælati, sive cuiuspiam incorporare non valentis alicui religioni approbatæ, non facit quem religiosum. *Navar. conf. 6. n. 22. de reg.* hinc fit, quod si aliquando aliquis vellet emittere tria vota in manibus Episcopi, & professionè

solemnem in ejusdem manibus facere non ideo censetur religiosus, nec professio solemnis, nec votum solenne, sed tantummodo votum simplex; ratio est, quia Episcopus non incorporat religioni, *cap. odia, de reg. jur. lib. 6. & ca. unico, de vot. & vot. redempt. eod. lib.*

### PROTOCOLLUM.

**P**rotocollum amittens Notarius, potest puniri à iudice pœna arbitraria, quia de consuetudine tenetur ad ejus custodiam, *Fel. in cap. tabellio, ver. 2, quaritur, n. 2, de fid. instrument.*

### PROVISUS.

**P**rovisus de Episcopatu, Abbatia, vel hæres, an possit conferre, vel præsentare antequàm adipiscantur possessionem, vel adeant hæreditatem? Respondetur, quòd sic. *Reb. tit. de simon. & resign. n. 25, & infra*, tamen distingue, prout ibi, si provisus est per obitum, vel privationem, vel resignationem.

### RAPTUS.

**P**rimò, licèt raptus non possit fieri absque violentia, tamen si fiat muneribus, promissionibus factis puellæ, & invito patre de domo exeat, & ad ipsum veniat, vocatur raptus, & incurruntur pœnæ Sacri Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6, de refor. matrimon.* quæ sunt excommunicatio ipso jure, tam rapiens, quàm dans consilium, auxilium, & favorem, & infamia: ratio est quia